

*Certissimum est, quod eiusmodi informatio &c.)* Concedo, lubensque largior, hominem conuertendum subinde informatione quadam opus habere. Concedo, quod ista informatio successu temporis procedat, & homo conuertendus inde incrementum aliquod cognitionis capiat. Sed quod ideo, antequam conuertatur, secundum stilum scripturae illuminatus dici queat, id quidem hic adseritur, sed non probatur. Quid ad loca *Ioan. I. 9. & Matth. XIX. 22.* respondendum sit, ex haecenus dictis facile perspicitur.

Legi merentur, quae B. FECHTIVS solide pro more suo tradidit in dissert. de ordine modoque gratiae diuinae, aphor. IX. *Ioanni vero Christus illuminare dicitur omnem hominem, venientem in hunc mundum, Ioh. I. 9. h. e. quantum in se est: per verbi ministerium, veram Dei cognitionem, omni studio & conatu, adeoque repetitis saepe actibus, omnibus, qui se operantem admittunt, quousque admittunt, implantare. Nec enim generalitas locutionis admittit, ut de ea tantum illuminatione accipiatur, quae complementum suum in plenaria hominis conuersione adsequitur. An enim ideo a Christo informatus iuuenis ille non est, quia post informationem tristis a Christo discessit, eo quod diuitias suas retinere non posset? Matth. XIX. 22. An ideo illuminatus a spiritu sancto non est, qui aliquid accepit luminis, licet omne sua culpa non admiserit? An ideo sol non illuminat conclaue, quia vel non totum illuminat, vel non omnes eius partes aequaliter illuminat? Addo: Annon is a sole illuminatus dici potest, aut collustratus, qui oculo vno aperto, altero clauso incedit? aut utroque aperto, incautus tamen & incurius ambulat, atque sic impingens grauisimum experitur lapsum?*

*Annon is a sole illuminatus dici potest &c.)* Similia illustrandi equidem, non autem probandi vim habent. Sed haec etiam parum ad rem faciunt. Qui vno oculo saltem gaudet, vno isto, si sanus sit, non minus videre potest, quam qui duobus instru-